

R. N. 350, 7.

*In humana scientia ejusq; merit
videre*

II f
423

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IOANNES
GODOFREDVS
DE BERGER

CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS
ORDINIS MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS
ET ACADEMIAE SENIOR
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.



RECTOR
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS

IOHANNES

GODFRIDVS

DE BERGER

CONSILIIVS SVVS ET ARCHICAMERARIVS
ORDINIS AUSTRIACI PROFESSOR PRIMARIUS
ET ACADEMICVS SENIOR

CHANCELLER ACADEMIAE

1787



Cum, naturali quodam studio, ad cognitionis et SCIENTIAE cupiditatem trahimur omnes atque ducimur, tum, eo naturae instinctu, quantum ab impetu ferarum belluarumque distemus, haud obscure declaramus. Ac trahimur quidem, ipsa naturae vi, ad discendum quid sciendumque, impulsus, quando mens nostra, quoad cogitando agitur, nunquam acquiescit, nec cogitando solum alitur, sed etiam discendo. Ducimur autem, cum, percepta cognitionis, ad quam primum incitabamur, iucunditate, huic iam, iudicio quodam nostro, nos damus, audiendi uidentique plura delectatione capti. At, cognitio intelligendi facultate cum pariat, haec quidem facultas ab animantibus, rationis expertibus, eo longius hominem sciungit, quo uerius ipsa ratio mentis, diuinitus nobis attributae, oculus lumenque nominatur. Hinc *ingenium* illud *curiosum*, ab ipsaque natura, pariter cum ratione, nobis datum, quod nouis rebus ignotisque studet, quod abdira consecretur atque remota, quod, aspectabilium peruestigatione rerum non contentum, ipsa coeli munimenta, sed interdum temere nimis, perrumpere audet, et agit alia moliturque, quae Seneca, de Otio Sapientis, pluribus exponit. Scientiam igitur mentis humanae studiis tam coniunctam, putarunt quidam ueterum, ut in ea summi boni rationem collocarent. Herillus enim, Carthaginiensis, teste Diogene Laertio, scientiam dixit finem bonorum, ipse etiam Socrates, ut idem refert, unum tantum esse bonum, scientiam, unumque malum, inscientiam, pronuntiauit. Seneca, *Quid ergo, inquit, est bonum. rerum scientia. Quid est malum. rerum imperitia.* Notae sunt Ideae, Platonis deliciae, sed ab Aristotele exagitatae. Haud abnuuit Lactantius, qui scientiam fecerit summum bonum, hunc aliquid homini proprium dedisse, sed, scientiam, negat, summum ideo bonum esse, quod illa non per se, uerum propter aliud, expetatur. Omnino, de finibus bonorum si quaeratur, aliud bonum ultimum, quam scientia, exquirendum, uidetur. Hoc autem, uel in perpetua uirtutis actione, si ueterum sapientissimos sequimur, ponendum, uel, si ne haec quidem actio perfecti quid in nobis haber, in ipso potius Deo, omnis perfectionis auctore. Intellegi tamen potest, quantum scientiae, ad humanam mentem relatae, a ueteribus tribuatur, a quibus mens haec sic eniti credatur ad scientiam, ut in ea demum conuiescere uideatur

Quaquam uero scientia rerum expetendarum fines haud regimus, illa tamen, insitiandum non est, uiam nobis ad summum aperiri bonum, aperitamque muniri. Nam scientia rerum, quarum causas inuestigat, cognitione tenetur. Non minus igitur bonum docet, quam uerum. Sic utrique philosophiae subuenit, tum illi, quae in contemplatione, tum huic, quae in actione, uersatur. Siue igitur rerum naturas perspicit scientia, siue facultatem bene, beateque uiuendi praebet, ea certe suppeditat, quibus homo, aut ad felicitatem huius uitae instruendam, aut ad leuandas potius eius miseras, uti possit. Seneca, ubi *perfectam uirtutem* commendat, hanc esse, negat, posse, *nisi rerum scientia contingat, et ars, per quam diuina et humana noscantur*

Sed praeclare cum illa demum agitur hominum scientia, quae, suis diffusa uiribus, lumen a diuina sapientia capit. Haec enim scientia, mysteriis coelestibus initiata, exurgit altius, ubi deficit humana. Haec, in coelum euecta, et sacrosanctae Triados arcanum, quod nulla capit ratio, edocta, ex eo fidem illam concipit religiosam, quae in uero, atque unico, sempiternae

salutis fundamento insidit. Haec, diuina collustrata luce, in terris contuetur salutare illam gratiam, quae, exorto Iustitiae Sole, cunctis hominibus illuxit, in terris introit illa, diuinitus reclusa, salutis adyta, in quae introspicere ipsi gestiant coelites, in terris percipit illud, sine dubio magnum, pietatis mysterium, de Deo carne tecto, omnis iustitiae pleno, conspecto Geniis, denuntiatione gentibus, cum gloria recepto. Haec, auditis, quae Athenis, in Graecorum sapientissimis, afflatu sacro, castigantur, *ignorantiae temporibus*, in humana sapientia, non tam scientiam, reperit, quam inscientiam, ob eamque causam, ubi de rebus diuinis agatur, longe aliam requirendam esse scientiam, uider. Qua re habet adiumenta doctrinae, non solum ex riualis humanis, sed ex ipsis etiam diuinis fontibus, depromendae, qua instituti, ad veri bonique, haud simulati, inuestigationem excitentur. Tanto acrius incitat studium indagandi causas rerum, in quas nulla ingenii acies penetrare potuisset, nisi eae diuinitus traditae fuissent. Sed habet sui modum, ubi captum humanum res excedunt. Satis enim superque rationis habere, iudicat, quae diuinae sint auctoritatis. Haec ergo pie credere, satius ducit, quam eorum confirmationem experiri. Nam, Deo religiose, mauult, obtemperari, quam repugnari arroganter. Sed, alia, in recessu diuinitatis abstrusa, nescire, haud magis turpe putat, quam, multarum rerum naturalium ignoracionem ingenue conseri. Hic, Deum, nouit, *melius sciri nesciendo*, ut Augustinus ait. Sic, alias suo se modulo mensa, alias, quicquid efficere peruestigando possit, experta, habet, quod mentis humanae decere, ipsamque hominis dignitatem, quae in animo sita est, animi, uirtute disciplinaeque imbuti, profectu honestissimo probet.

Itaque omnes, ad eruditorum numerum qui uelint aseribi, amorem scientiae profitentur, eamque optimi cuiusque studio dignam arbitrantur. Sed, ut ingenii ac moribus, sic iudiciis, inter se discrepant, ipsosque iudicis mores ostendunt. Dicant pro me sapientes ipsi, inter quos de scientia cum minus conueniat, alii quidem de ignoracione rerum conueruntur, alii scientiam uenditant, alii delectum scientiae commendant.

Sunt enim, qui, nihil non aliis, sibi nihil, scire uideantur. Ex his Socrates, ipse, ut aiunt, oraculi uoce indicatus omnium sapientissimus, sibi nihil scit aliud, quam, se, ut Diogenes Laertius commemorat, nihil scire. Negat etiam, se scire, quidnam ipse esset, homo ne, an aliud quiddam, ut Plato, et Sextus Empiricus, tradunt. Lactantius, aenigma illud Socraticum interpretatus, eo, submonet, istorum inscientiam coargui, qui sapientes sibi uideantur. *Intellexit*, inquit, *philosophiae doctrinam nihil habere in se certi*. Hanc autem *sapientem insipientiam* uocat. Adicit Arcesilas, succlamantibus Academicis mediae aetatis, nihil esse, quod sciri possit, ne illud quidem, quod Socrates, sibi relinquendum, putarit. Nam, cuncta, uentur, in occulto latere, ut Cicero, in quaestionibus Academicis, docet. Respiciunt autem isti *ἀκαταληδίαν*, quam dicunt, et, huic *εποχήν* mederi, uolunt. Sed hos, qui omnem deleant scientiam, *ignorantiae magistros* Lactantius appellat. Seneca uero, ubi *Nimiam subtilitatem* reprehendit, ut infestam ueritati, *Nausiphanes*, inquit, ait, *ex his, quae uidentur esse, nihil magis esse, quam non esse*. Parmenides ait, *ex his, quae uidentur, nihil esse in uniuersum*. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit. ait, nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii uersantur, et Megarici, et Eretrici, et Academici, qui nouam induxerunt scientiam, nihil scire. Haec omnia in idum superuacuum studiorum liberalium gregem conice. mibi

nibi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiae eripiunt. Sa-
cius est, superuacua scire, quam nihil. illi non praeferrunt lumen, per quod acies
dirigatur ad uerum, hi oculos mibi effodiunt. Haecenus ille

At, in hoc ingenii humani theatro, contrarias partes sumunt, qui nihil
sibi scire non uidentur, interdum etiam, nefas dictu, plus, quam ipse Deus.
Ex his Gorgias Leontius, de quo multa scripsit Plato, in Atheniensium con-
cionem cum prodit, quaestionem poscit, de qua quis audire uelit, restatus,
ut ait Philostratus, se cuncta scire, ac dicere de re quauis posse. Apion, tan-
tum scientiae, tantumque auctoritatis ac famae, sibi tribuit, ut, immorta-
litate, praedicet, ab se donari, ad quos aliqua componat. Ex ea re cymba-
lum mundi uocatur a Tiberio Caesare, publicae potius famae tympanum
dicendus, ut Plinius putat. Remmius Palaemon, teste Tranquillo, sibi
tantopere sapit, ut Romanorum doctissimum, Varronem, porcum nominet, ac,
litteras ipsas secum et natus esse et morituras, iactet. Alexarchus, grammati-
cus, cuius, ex Aristo Salaminio, meminit Clemens Alexandrinus, Solis no-
men figuramque sumit, arbitratus, opinor, terrarum orbem scientia sua illu-
minari. Nicagoras Zelita se Mercurium fert, ascito etiam huius cultu, credo,
ne quid diuinae scientiae in eius eloquentia desideretur. Menecrates etiam,
Philippi, Macedonis, medicus, suae plaudens scientiae, non homo sibi uide-
tur, sed Numen. Scribit enim hero suo, *Menecrates, Iupiter, Philippo salu-
tem.* Ae, hominis insaniam ut corrigat, Philippus respondet, *Philippus Me-
necrati sanitatem*, id est, sanam mentem. Quod si iure rideret Iupiter iste
Iatricus, quam nefarium iam putetur, hominem Christianum Deo se
ferre sapienterem. Hoc tamen audet Alphonfus X, Rex Castillae, praedi-
care, ut Rodericus Sanctius memoriae prodidit, solitus, in consilium uniuersita-
tis huius condendae si fuisset adhibitus, plura fieri concinniora potuisse.
Sed temeritatis suae poenam dedit, a filio exutus regno, et indignus certe,
uel ob unam hanc causam, reputandus, qui uulgo Sapiens usurperet, cum
nihil insipientius, eius uoce, uel dici, possit, uel cogitari.

Sed alii, modo quodam rerum adhibito, humani captus imperitiam
temperant, multa quidem, atque adeo plurima, nesciri, haud tamen omnia,
prolessi. Agnoscunt enim difficultatem ueri, e latebris extrahendi. Agno-
sunt libidinem, cui saepe multumque indulgetur, dissidentibus irer se opi-
nionibus omnia distringendi, sic, ut uulgi dicatur licentia, mundum opinio-
nibus regi. Tantum tamen abest, ut, ullam cognosci ueritatem, negent, ut
hanc ipsam, cum illo, *temporis filiam* uocent, propterea, quod sensim illa
paulatimque e tenebris se emergat. Hoc ipsum scena uetus clamat, *Αγ-
ερας Φως την ἀλήθειαν χεῖνος.* Sed de ueritate, longe maiori, ipsa Coe-
lestis illa Veritas, apud Ioannem, *Και γνώσθητε την ἀλήθειαν, η̄τι η̄ ἀλήθεια
ἐλευθερώσει ῡμᾶς.* Considerato igitur rerum usu, non tam multarum, quam
necessariarum, expetendam sibi scientiam, ducunt. Aeschylus quidem, *Quo
fructuosa scit, non, qui multa, sapit. ὁ χεῖνον εἶδος, οὐχ ὁ ποικίλον
σοφός.* Et Aristippo, non, qui plurima, sed, qui utilia, legerint, sunt eru-
diti. Seneca uero necessaria studia distinguit a superuacuis, haecque tam phi-
losophis, quam philologis, crimini dat, ex ipsa multarum artium noticia
tantum retinendum, quantum necesse sit, arbitratus. *Plus scire*, inquit,
uelle, quam sit satis, intemperantiae genus est. Alio loco *Literarum inuti-
lium studia*, in quibus operose nihil agatur, uituperat, tam in Graecis, quam

in Romanis. At, rebus necessariis operam esse dandam, ita statuit Lactantius, ut, eo quidem iudice, plus sapiat interdum vulgus, *quia tantum, quantum opus est, sapiat*, eaque re non nunquam doctis antister. His, aliique, idem sentientibus, assentitur, e nouis, pro grauitate sua, Augustus Buchnerus. Scripserat, memoriae causa, Pascaſio Thomasio, Lugdunum Batauorum ex itinere inuisenti, Daniel Heinſius, *Quancum est, quod nescimus. Adiecerat Heinſii collega, M. Zucrius Boxhornius, Maxima pars eorum, quae scimus, minima eorum est, quae ignoramus.* Sed, medio inter utrumque illorum loco, interiecit Buchnerus, *Vilia scire, maxima scientia*

Ex trium igitur generum iudiciis, quae de scientia humana fecerunt sapientes illi, unum, scientiam desiderans, plus modestiae, alterum, scientiam ostentans, plus arrogantiae, tertium, scientiam usui uitae feligens, plus prudentiae, habere uidentur

Principio tamen illa, quam diximus, modestia simulata magis est atque ascita, quam uera atque ingenua, fluctuantis potius potius animi, quam sibi constantis. Nam Socrates *εἰρων* dictus est, id est, Tullio interprete, in omni oratione dissimulator, qui sentiat aliud, atque dicat. Hinc ipsam Socratis uitam Fabius *Ironiam* uocat. Socrates enim, non alios solum, sed etiam se ipse, ludere consuevit. Ab hoc cauillandi more Scurra Articus non nullis dicitur. At, cum, refellens alios, suam prestet scientiam, eam ideo, noluit, sublatam. Itaque Cicero, facta eorum mentione, qui negauerint, quicquam sciri, Socratem ac Platonem horum de numero, putat, eximendos. Videtur igitur Socrates eadem simulatione omnium se rerum profectissimum se uocari, qua probauerit Apollinis Pythii iudicium, omniumque sapientissimum se uocari. Sed nihil obest, quo minus haec speciosa Socratis modestia tantum interioris superbiae potuerit recondere, quantum eius abdere solent, qui modesti plus nimio uideri uolunt. Habet enim, ut aliae uirtutes, sic modestia fines suos, quos ultra si consistas, elati sis animi, sin citra, abiecti uideare. At, Socrates erecti semper animi cum sit habitus, eo quidem minus opinioni, de praestantia sua conceptae, uideretur defuisse, quo magis aliorum scientiae, cauillationibus suis, illudit. Arceſilas autem, rerum scientiam infitiatuſ, suae nihil relinquere uideretur. At eo sibi plus arrogat, quo confidentius philosophiam, iam constitutam, nouis opinionibus euertere, ut ait Cicero, studet, quasi, nihil sciendo, ubi nihil sciri possit, plus, quam alii, sciat, qui nihil scire non uelint. Omnino, qui hominem omni priuant scientia, eum simul omni, spoliant, et sensus, et rationis, usu. Habet enim, homo, quae sentiat, habet, quae clare percipiat et distincte, ipsarum quidem inuestigatione causarum, quarum cognitione ipsa scientia continetur. Saepe quidem latitant causae, sed ideo non deest, quod ex rebus effectis colligamus, tantoque exploratius de ipsis statuamus caussis. Initur igitur duplex ueri demonstrandi uia, altera quidem ex caussis, altera ex effectis. Etsi uero prior illa, propter altioſorem euidentiſ ac distinctae cognitionis gradum, eximie scientia uocatur, parum tamen refert, utram ex his ingrediamur uis, dum, alterutris ope, id, quod res est, pernoscamus. Posterior autem nihilo fecius a Mathematicis, quam a Physicis, Metaphysicis, Theologis, celebratur. Accedit demonstrandi genus tertium, quod tamen ad primum a quibusdam reuocatur. Hoc dicitur *ἐκ τῶν ἀτόπων καὶ ἀδυνάτων*. Docet autem sententiae nostrae ueritatem ex contrariae, ab ratione abhorrentis, repugnantia, atque

atque infultitate manifesta. Hoc nihilo minus Mathematici, quam alii plerique omnes, nec inscienter, uti solent. Sed, ut in homine, sic in rebus, hominem circumstantibus, habet Seneca, quo rerum scientiam defendat. *Si Protagorae, inquit, credo, nihil in rerum natura est, nisi dubium. Si Nauphiani, hoc unum certum est, nihil esse certi. Si Parmenidi, nihil est, praeter unum. Si Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos sumus. Quid ista, quae nos circumstant, alunt, sustinent. Tota rerum natura umbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis irascar illis, qui, nos nihil scire, uoluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerant, nihil scire.* Haec ille. Ad eundem modum Baco, nouus augendae scientiae magister, etsi difficultatem inuestigandi ueri haud disstetetur, adempta tamen sensibus ui sua, euulsaque ex animis ueritatis exquirendae spe, incidi neruos inquisitionis humanae, merito indignatur. Itaque dat quidem, nihil uere sciri posse uia uulgo trita, sed, nihil omnino uere sciri posse, aperte negat. Ne tamen nimium nos circumspeciamus, meminerimus haud incommode, quamuis multa sciantur, plura tamen ignorari, alia clarius, alia obscurius, cognosci, alia opinione sola, praesertim inueterata, teneri. Hinc querimoniae, tam ueterum, quam nouorum, de mentis humanae imbecillitate, de ueritate, in puteo Democriteo, demersa, de arte longa, uita breui. Irridet acumen Hieronymi Cardani Iulius Scaliger, nec multum tamen sua subtilitate gloriatur. *Latent enim naturae hae, inquit, simul et aliae rerum species, in profundissima caligine inscitiae humanae. Vider, occultas ueterum qualitates, quae dicuntur, a nouis exhibitari, sed, ab his, arbitratus, nouum eius rei nomen, non emendationem, afferri, facit ingenii candidique animi uerbum hoc, Nescio.* Scrutatus naturam nostram, id est, *infirmiorem et caliginem*, Iustus Lipsius, *Maximos, inquit, uiros ea res tam olim ad confessionem ignorantiae adduxit, atque adeo Veri desperationem.* Renatus autem Cartesius, quem *Naturae Filium* uocant; in hoc parentis suae gremio nondum arcana naturae sic edoctus sibi uidetur, quin prae se ferat, uere doctus, ne qua insulerent superbia, infirmitatis suae conscientia prohiberi. Ipsa mens, ab ipso Platone, ut perhibent, dictus est Aristoteles, quem tamen, pudore et dolore, quod Euripi Chalcidensis explorare naturam non posset, confectum, decessisse, tradit Iulianus Martyr.

Quo magis repudiandi sunt, qui suam sic exosculantur scientiam, ut in ea se multum ament. At, ingenii praesidentis audacia elati, uanitatis potius erimen incurrunt, quam doctrinae laudem capessunt. Nam uulgo, more Sophistarum, imponunt, in utramque partem, cum Carneade et Protagora, differunt, neutram ueri iudicio tuentur, quia opinantur magis, quam sciunt. Sic se gerendo, quantum extra terminos humani captus, persuasione sua, egrediuntur, tantum imperitiae, tantum peruersitatis suae, produnt. Vere enim, quia moribus hominum congruenter, Pericles ille Thucydidius, inscitia pari audaciam, consideratione cunctationem, uere etiam, qui hanc Periclis sententiam laudat, Plinius, recta ingenia debilitari uerecundia, sed peruersa audacia confirmari. Et certe, quo longius aetate, rerumque usu, prouecti sunt homines, eo modestius de sapientia sua existimare solent. Multis enim casibus experti sunt ingenii humani debilitatem, ut saepe, sententiam rogati, assensionem cohibere malint, quam fidenter affirmare. Sapientum est,

x 296 4227

OK
774
723

ad cogitare, quod Romanis praecipit diuinus Paullus, ne qua tumeant opione, sibi soli sapientes

Vtrique igitur istis, quos diximus, anteferenda uidetur illorum prudentia, qui sciendi studium, non animi libidine, desinunt, sed usu uitae, ut, his quidem monitoribus, discantur, quae nobis prodesse possint. Sed horum alia sunt utilia, alia necessaria, illa, quae nobis commodent, haec, quibus carere haud possumus. Neutra sunt horum negligenda, sed altera tamen praeoptanda. Etsi uero haec in omnes uitae partes diffunduntur, ad nos tamen ipsos si referantur, animi, corporis, fortunae, bona attingunt. Haec enim uariam postulant cognitionem illarum rerum, quibus uel quaerantur singula, uel conferantur, uel augeantur. Et, quoniam uitae genera, in quibus aetatem degimus, differunt, prudentiae caput est, ut ea potissimum excolantur, quae ad cuiusque institutum accommodatissima uideantur. Quaequam uero haec, pro dissimilitudine institutorum, dissimilis uel numeri, sunt, uel momenti, sua tamen difficultate haud uacant, in grauioribus praefertim artibus, in quibus excellere qui uelint, habebunt certe, in quo suarum satagant rerum

Sed nihil humana sunt ad diuina, caduca nihil ad aeterna. Idcirco, in diuinis, in aeternis, si noscenda potissimum sunt necessaria, magna sane felicitate nos utimur, quos Deus nihil eorum calauerit, quae adiuent ad salutem consequendam. Paullus, in tertium raptus coelum, didicit, quae non possent enarrari. Sed, ipsum si audiamus, nihil aliud statuit scire, quam IESVM CHRISTVM, eumque CRVCI SVFFIXVM. Hoc enim cognito, omnia simul cognoscit, quando in Christo, ut ipse ait Paullus, *omnes sapientiae et scientiae thesauri absconduntur*. Imitemur igitur sanctam potius Pauli modestiam, quam Atticorum sapientum insolentiam, Ephesios potius *uicis* sacrorumque religiosos inuestigatores, ad quos Paullus ideo excelsus scribit, quam Corinthios inflatos, quorum superbiam idem castigat. Vnum, denique sciamus, nobis esse necessarium, quod ipse Christus sic Marthae isti operosae praecipit, ut, illud in parte, a Maria sapientius delecta, hoc est, in se ipso, quaerendum esse, ostendat

Ceterum omni scientiae, tum diuinae, tum humanae, MARE-SCHALLIANA Beneficentia, cuius aniuersariam memoriam recolimus, apud nos optime prospexit. Reliquit enim, non sine magna sui gloria, unde utriusque scientiae alumni in conuictu liberalissimo alerentur. Quare pia, nec incita, Oratione ornabitur a Godofredo Theodoro Almero, Ransdorfio-Saxone, Iuene ingenii morumque elegantia ornatissimo, qui suam nobis uirtutem, diligentiam, doctrinam, iam pridem probauit. Hic, crastino, ab hora IX matutina, in Auditorio Maiore, uerba faciet, dignus certe, cuius studium uestra, Ciues, beneuolentia, prosequamini, et animorum aequitate sustineatis. P. P.

XIV Cal. Ianuarias, A. clo. lccc xxxii

VITEMBERGAE
PRELO GERDESIANO

mc

R. N. 350, 4

*In humana scientia ejusq; in
rudine*

II f
423

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

IOANNES
GODOFREDVS
DE BERGER

CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS
ORDINIS MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS
ET ACADEMIAE SENIOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

